

t.Ph.

K 9406

N. Anat. Ph.
7.

DISSERTATIO HISTORICO
PHYSICA

DE

MAMMUTH
RVSSORVM

QVAM

PRAESIDE

IOHANNES FRIDERICO
CARTHEVSER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

DIE XIV. MARTII, MDCCXLIV.

H. L. Q. C.

DEFENDET

FRIDERICVS BORCHARD,

BEROLINENSIS.

FRANCOVRTI AD VIADRVM,
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.

PAŃSTWOWE
MUZEUM ZOOLOGICZNE
BIBLIOTEKA
Nr. K.9406



DISSERTATIO HISTORICO - PHYSICA
DE
MAMMOTH
RVSSORVM.

§. I.

In profundis vastisque almæ telluris visceribus non lapides tantum, metalla, semimetalla, salia, sulphura, bitumina, aliaque diversissimi generis concreta mineralia, quæ ibi locum invenerunt natalem, abscondita latent, sed multa pariter corpora peregrina, præsertim in locis crustæ propioribus, ex animali & vegetabili regno illuc translata, eaque nunc integra adhuc, nunc crusta terreo-lapidea obducta, aut penitus in lapidem conversa, sedulis attentisque naturæ scrutatoribus passim obvia sunt. Silentio prætermittam squamosa piscium sceleta, lapidibus
A 2 impres-

impressa; nec minus conchas ac testas marinas diversissimas: Non attingam lithoxyla, lithophyta, ossa quadrupedum, aliorumque animantium petrefacta & similia; multo minus species eorum varias oratione recensebo prolixa, sed de unico duntaxat regionum quarundam borealium fossili rariori, quod Russiæ atque Siberiæ incolæ generali nomine *Ossa Mammuth*, *Mammont*, *Mamatowakost*, Tartari *Kbir*, & Ostiakenses, circa Obium habitantes, *Khofar* vocare consueverunt, nonnulla hac vice proponam, & speciatim, præmissa formæ, magnitudinis, coloris, similitumque descriptione & adumbratione historica, originem eruere conabor.

§. II.

Fossile hoc non in quibusvis amplissimi Ruthenici imperii provinciis, sed in *Siberia* tantum & *Tartaria* septentrionali, circa *Ketam*, *Jeniseam*, seu veterum *Parapamisum*, *Lenam*, *Trugam*, *Mongamseam*, *Obium* seu veterum *Carambucim*, ac fluvios alios, eorundemque præprimis ostia, nec minus prope oppida *Beresovam*, *Obderam*, *Mangaseam*, *Taram*, *Tomskoi*, *Jakutskoi* &c. in collibus, montibus, montosisque fluminum ripis, sub forma ac magnitudine varia, reperitur. Occurrunt ossa, dentes, mandibulæ, vertebræ, brachia, tibiæ, crania, cum reliquis capitis ossibus, vel jam avulsis, vel firmiter adhuc connexis ac cohærentibus, quin integra, eaque ingentia, sceleta, quæ singula vel casu à fossoribus eruuntur, vel tunc temporis, terrâ, quâ antea tegebantur, passim denudata, in conspectum veniunt, quando crusta telluris, sævissimo gelu profundè

fundè adstricta, tempore æstivo, redeunte calore, iterum resolvitur, vel aquæ fluminum, longè lateque exundantium, aut grandiores moles glaciales hinc inde arenosolimosas ripæ montosæ partes, impulsu violento avulsas, secum rapiunt. Nam fluminum, in mare Tartaricum & glaciale, maxime autem in *Gubam Mangazeiski* a) decurrentium, eluviones tempore verno vel æstivo quotannis superveniunt, & graviores præcipuè evadunt, quoties *Fretum Nassovicum* b) glacie, ex pelago septentrionali, aat Guba copiosius intrante, obstruitur, vel Guba prælaudata justô diutius glacie obducta manet, ut ideo flumina aquas suas, nivibus liquefactis valdoperè auctas, neque in Gubam effundere, neque per obturatum Fretum Nassovicum ulterius in mare glaciale devolvere possint.

- a) Guba, Novam Zemlam ac Samojitiam interjecta, quam Russi *Gubam Mangazeisko*, item *Tasovskaja* & *Tasovskoi* vocant, nihil aliud est, nisi *Sinus aquarum dulcium*, ex fluminum multorum confluxu enatus. Nam vocabulum Guba lingua Sclavonica *Spongiam* denotat, quæ æque, ac sinus ejusmodi, aquam absorbet, vel eidem tamen absorbendæ apta existit. In sinum hunc, præter vastissimum *Obium*, etiam *Teusse - Nadim - Pur - & Tass* fluvii, aliique complures sese exonerant. Longitudo ejus, uti scriptores referunt, ad centum, latitudo ad viginti miliaria extenditur. Gaudet fluxu & refluxu, & dulces nihilominus aquas continet; hinc hyeme etiam crassa crusta glaciali tegitur, quæ mense Junio, vel interdum sub Julii demum initium dissolvitur calore, non perfecte tamen, sed saltem ex parte; tota enim æstate reliqua multæ & vastissimæ moles glaciales aquæ innatant, quæ navigationem in hoc

sinu valde periculofam, quinimo impossibilem quandoque reddunt. Quamprimum cruſta glacialis, revertente calore æſtivo, in Guba liqueſcit, & fluminum oſtia glacie liberata denuo aperiuntur, Obiſus ac reliqui Siberiæ fluvij, ad naturales ſuos alveos redeuntes, terras adjacentes amplius inundare ceſſant.

- b) Fretum Naſſovicum, vulgo Fretum *Weigats* dictum, æque ac Guba Taſowskoi, Novam Zemlam & Samoſitiæ promontorium interjacet, & utrinque collibus altis atque præruptis, ultra centum milliaria, ſecundum vulgarem relationem, ſerie concatenata procurrentibus, & nive ac glacie perenni tectis, cingitur. Frigus in hoc freto longe intenſius eſt, quam in locis aliis, Polo arctico propioribus, & ingentia glaciei fruſta, paſſim ſibi invicem, inſtar ſtrati ſuper ſtratum, impoſita, nunquam ob prohibitum radiorum ſolarium ingreſſum, debilemque actionem, liqueſcendo penitus conſumuntur, ut ideo totalis tandem obſtructio metuenda eſſet, niſi fruſta glacialia infima, paullatim reſoluta, aquis aliqualem concederent tranſitum, aut venti, ex continente ſpirantes, & in fretum irruentes, interdum calore ſuo ſiſſuras atque hiatus efficerent.

§. III.

Oſſa hæc, ut ê diverticulo revertamur ad viam, plerumque poroſa & friabilia ſunt, exceptis dentibus, qui ebur vulgare textura, duritiæ atque colore referunt & elephantinis quoque dentibus forma & magnitudine inveniuntur ſimillimi, præterquam, quod eorum plerique magis, quam ordinarii, incurvati exiſtant, & iis quoque citius, aeri ad tempus expoſiti, flavedinem in ſuperficie contrahant. Subinde etiam eruuntur, puniceo,

ceo, aut cœruleo-nigricante colore præditi, qui ipsis tamen haudquaquam competit originaliter, sed demum per corruptionem, ab aere & succis subterraneis paulatim inductam, generatur. Quando hi dentes ex nigro-cœrulescentes transversim in frustula lata, seu tesserulas discinduntur, variæ figuræ, & in specie homunculo-
rum, arborum, atque regionum imagines, accedente debita politura elegantiores, in illis visuntur; hinc in Russia etiam tesserulæ memoratæ, ab ipsa natura, jam jam destructionem majorem moliente, diversimode pictæ, æque ac lata & polita succini segmenta, cistulis ac scriniis, tessellato opere hinc inde exornandis, impenduntur. Dentes vero albicantes, & à corruptionis putredinosæ labe penitus adhuc immunes, maxima ex parte Chinensibus, Persis ac Turcis venduntur, ibidemque, ut & in Russia & Siberia, ex illis, præter alia utensilia, cultorum manubria, nec minus gladiatorum atque pugionum capuli conficiuntur, quos Turcæ ac Persæ longe præstantiores ac pretiosiores, quam ipsos aureos, atque argenteos, æstimant. Quando dentium frustula sive segmenta igne sicco ex retorta destillantur, æque ac ebur ordinarium, *pblegma*, *sal volatile* siccum, & *olei empyreumatici* paucillum reddunt, ac nigrum quoque caput mortuum, quod in retorta relinquitur, igne in vase aperto exustum, consuetam albedinem consequitur.

§. IV.

Magnitudo ossium, dentium atque sceletorum variat: Dentes molares plerumque viginti aut viginti quatuor

quatuor libras pendent, grandiores vero, seu exerti ac prominentes anteriores perſepè 80., 90., 100. 120., & plures libras pondere æquant, quin frequentiffimè longè ſuperant, & interdum ad quatuor ulnarum longitudinem exporriguntur, ita tamen, ut proportionatam craſſitiem, ex novem plerumque pollicum diametro, quo gaudent in parte inferiori, cognoſcendam, retineant. Anno 1730. dens ejuſmodi repertus fuit, cujus gravitas ad 280. librarum pondus adſcendebat, & in urbe *Tumeen*, referente *Domino de STRAHLENBERG* *a*), caput quoddam hujus animantis ſuſpenſum eſt, quod ulnarum duarum & dimidiæ longitudinem, licet ab incolis inter minima referatur, attingit. Facile igitur ex relata dentium atque capitum magnitudine conſuſio poterit formari ad magnitudinem reliquorum membrorum, quin integri ſceleti ejuſmodi animantis. Non procul ab urbe *Trugan* aliquando pes anterior effodiebatur, qui eadem, quâ vir mediocris ac juſtæ proceritatis, craſſitie gaudebat, & in deſerto *Barabinski*, inter oppida *Taram* & *Tomskoi*, prope lacum *Tzanam*, ſeu *Tzana - Oſero* alio tempore integrum ſceleton à foſſoribus extractum fuit, quod, (uti piCTOR quidam Bereſoviensis *Domino de STRAHLENBERG* retulit,) triginta & ſex ulnas longum erat. Incumbebat lateri dextro, & hujus lateris coſtæ adeo à coſtis finiſtri lateris diſtabant, ut vir, in medio conſiſtens, coſtas ſupremas malleo longiori, quem manu tenebat porrectum, attingere nequiverit. *β*)

§. V.

a) Vid. ejuſd. *Beschreibung der Nord- und Oſt-Tartarey* p. 395.

Conf. *Novellæ Petropolitanae* de anno 1730. p. 323.

β) *Libr. cit.* p. 394.

§. V.

Notatu quoque dignum est, ossa, capita, & integra sceleta nonnunquam inventa fuisse, carne semiputrida & cruenta aliquantulum adhuc contacta, ut proinde sub terra non adeo diu delituisse viderentur. Verum, qui situm in terra limoso-arenosa sicciore, ac simul valde frigidum harum regionum clima considerat, carnem per longum tempus putredini resistere potuisse, haudquam mirabitur. In Nova Zemla enim, provinciis hisce vicina, hominum aliorumque animantium extinctorum corpora, quemadmodum id ex navigantium relationibus constat, intra decem & plures annos, etiamsi aeri libero exposita jaceant, nullam penè putredinis labem experiuntur, & diutius procul dubio à corruptione futura essent immunia, nisi ursi, vulpes & aves rapaces ea citius devorarent.

§. VI.

Præcipuis, quæ formam, magnitudinem, colorem &c. concernunt, breviter recensitis, nunc disquirendum erit, quænam animalia hæc ossa, dentes ac sceleta in terra post mortem reliquerint, & quonam casu illa in locis hisce sua invenerint sepulchra. Non alienum à proposito arbitror futurum, si prius, quam meam de origine mentem aperiā, aliorum sententias adducam. Primatum hac vice teneat, non intuitu quidem dignitatis, sed saltem numeri, hypothesis eorum, qui Mammuth ossa cetorum, monocerotum, aut alterius vastæ ac singularis belluæ marinæ reliquias esse statuunt,

B

quæ

quæ animantia in mari glaciali, maximè circa Islandiam, Grönlandiam, Novam Zemlam & Spitzbergam, vivere, & subinde ab undis furiosis tempestate sæviente violenter abrepta, & circa fluminum ostia in speluncas & antra, passim sub ripis montoso-arenosis obvia, fortuito præcipitata, vel etiam tempore cataclysmi submersa, & aquis fluctuantibus denuo ad receptacula sua recedentibus, terrâ obruta fuisse perhibent. Huic opinioni calculus suum sæpe laudatus *Dominus de STRAHLENBERG* pariter adjecit, eamque variis, ab observatione desumptis, corroborare allaboravit argumentis, quæ demonstrando tamen momento primario neutiquam me iudice sufficiunt, sed solummodo probant, 1. in Siberia quoque singularia diluvii universalis documenta superesse, & 2., pisces cetaceos ex pelago, ventis vehementius agitato, nonnunquam in Siberiæ & Tartariæ flumina præcipitari, ibidemque, ni concedatur regressus, extingvi. *a)*

§. VII.

Relicta hac opinione transibimus ad fabulosam ac vulgatissimam traditionem incolarum, quorum plerique, præsertim ex gente Tartarica, credunt, hæc ossa ac sceleta corpori prægrandi singularis cujusdam animantis, talparum instar sub terra, maxime in locis palustribus, humidisque telluris ac montium cavernis viventis, ante mortem dura ac naturalia fulcimenta præbuisse. Hoc animal, uti fabulosè narrant, victum suum in terra pingvi limosa ac saburrosa quærit, cornibusque suis
inter

a) Libr. cit. p. 395.

inter meandum terram ac lutum removet. Sin autem fortuito in tractus arenosos, (ubi ossa hæc atque dentes frequentius reperiuntur), pervenit, ob ingentem corporis vastissimi molem, & continuo delabentem arenam, sese vertere ac remeare nequit, sed, ita aliquandiu hærens incarceratum, tandem extingvitur. Alii aliam mortis causam allegant, & illico hoc animal perire opinantur, quamprimum in locis quibusdam ob terræ defectum in aerem liberum, quem perferre non posset, aliquantulum prodiret, & id quoque causam esse addunt, cur sub fluminum ripis, ubi hæc animantia subterranea interdum exitum invenirent, ossa, ac sceleta laudata majori plerumque numero obvia essent.

§. VIII.

Nonnulli eò progrediuntur fabulando, ut animal hoc in speluncis montium circa urbem *Beresovam* aliquoties sese vidisse, immo, sæpius observasse audacter adfirmant, bestiam hanc subterraneam, more talparum, terram hinc inde sustulisse, adeo, ut post animantis progressum terra relapsa notabiles reliquerit cavernas. Secundum eorum, qui sese testes jactitant oculatos, descriptionem animal hoc admodum deforme est, & altitudine corporis quatuor vel quinque, longitudine novem vel decem ulnas Russicas æquat. Pelle nigra aut subcana tegitur, capite gaudet oblongo, fronte latissima; in qua super oculos bina prominent cornua longa, ita tamen ossibus implantata, ut animal ea pro lubitu movere, & transversim crucis forma componere valeat. Pedes urforum pedibus simillimi sunt, & animal inter



meandum corpus suum secundum longitudinem nunc valde contrahere, nunc denuo extendere dicitur. Fabulæ huic, secundum *BAYERVM, Societatis Petropolitanae membrum*, ansam præbuit *Mahumedes*, religionis Ismaeliticæ apud Turcas, Arabes &c. restaurator ac propagator nugacissimus: In libro enim, quem vulgo *Alcoranum* vocant, asseclis suis persuasit, sub terra animal vivere valde monstruosum, quod hominum actiones attentè observaret, & hoc animal, jam jam imminente die novissimo, è terra proditurum esse. Putat igitur auctor prælaudatus, inde apud Tartaros, qui olim Mahumedanæ religioni addicti erant, prædictam traditionem de vita ac progressu Mammuth sub terra suam traxisse originem.

§. IX.

Verum, transeant hæ Tartarorum nugæ, quas ipsi Rusfi & prudentiores Siberiæ incolæ rejiciunt, & rectius statuunt, ossa & sceleta Mammuth nulla alia esse, nisi Elèphantina. Confirmat hanc sententiam, cui ipse subscribere nullus dubito, formæ ac magnitudinis, tum in toto, tum partibus, similitudo: Immo eandem quodammodo confirmare videtur ipsa vulgaris apud Russos denominatio. Nam vox Mammuth esse videtur corruptum vocabulum Hebraicum *Bebemoth*, & Arabicum *Mehemoth*, quæ unum ferme idemque, & quidem prius apud Hebræos *jumenta, pecora, bestias*, posterius apud Arabes *magnam atque robustam belluam*, denotant. „Cum *Bebe-*
ma, *FRANZIVS* *a)* inquit, significet bestiam, *Elephantus*
in

a) In Historia animalium p. 16.

„in loco dicto, (scil. apud Jobum cap. 40.) appellatur
 „*Behemoth* in numero plurali, quasi dicas *bestiæ*, quod
 „sit instar multarum bestiarum. Favet quoque huic
 „opinioni, intuitu nimirum Arabicæ hujus vocabuli ori-
 „ginis, prælaudatus *Dominus de STRAHLENBERG*, quando
 „scribit *a*). „Quemadmodum interpretes nostri non
 „consentiunt, quodnam animal hoc nomine (scilicet
 „*Behemoth*) designetur, dum Lutherus, aliique sub hoc
 „nomine *Behemoth* nihil aliud, nisi generaliter animal
 „vastissimum intellexerunt; sic Arabes, quanquam æque
 „incerti in hoc passu fuerint, hanc denominationem in
 „Tartariam magnam transtulisse, probabile est. Nam
 „*Ostiackienses*, circa *Obium* habitantes, *Mammuth* ple-
 „rumque *Khofar*, Tartari autem *Khir* vocant, & licet Ele-
 „phantus apud Arabes ordinariò *Fybl* adpelletur, *Mebemodi*
 „tamen vocabulum, si corpus denominandum singulari
 „gaudet magnitudine, tanquam adjectivum addere con-
 „sueverunt. Quare illi etiam, cum in Tartariam profecti,
 „tam magni animantis reliquias offenderent, ipsis, aliam
 „adpellationem forsan ignorantes, *Mehemoth* nomen
 „imponebant, quod vocabulum adjectivum deinde pro
 „nomine proprio habitum, & à Russis *Mammuth* pro-
 „nunciatum fuit. Posito etiam, Arabes hoc nomine
 „Elephantum denotasse, descriptio tamen, quam Hio-
 „bus de *Behemoth* dedit, cum proprietatibus ejus non
 „perfecte congruit, & ideo etiam alii eò fuerunt addu-
 „cti, ut per *Behemoth* hippopotamum, vel cetum in-
 „telligant *β*). Ut ut interea sit, certissime tamen voca-
 „bulum

B 3

bulum

a) L. c. p. 394.

„bulum Russicum Mammuth vocabulum corruptum
 „Behemoth est. Nam sacerdos quidam Russicus, nomine
 „Gregorius, qui in Siberia per multos annos vixerat re-
 „legatus, mihi retulit, olim in Siberia hoc vocabulum
 „non *Mammuth*, sed *Memoth* pronunciatum & postea
 „demum à Russis in Mammuth corruptè mutatum fu-
 „isse. &c.

§. X.

Sententia hæc, quam *Dominus de STRAHLENBERG* circa nominis originem fovet, maxima gaudet probabilitate, & quanquam ille Mammuth non habere videatur pro elephanto, parum tamen levis hic dissensus nocet, cum dudum *KIRCHMAIERVS a)*, aliique, proprietates, ab Hiobo Behemoth adscriptas, optimè etiam elephanto competere, & ideo per Behemoth nullum aliud animal, nisi elephantum, intelligendum esse, solidè demonstraverint. Quibus admissis, in propatulo quoque erit, *Mammuth*, *Behemoth*, & *Elephantum* unum idemque animal esse, & ossa pariter ac sceleta Mammuth, ob summam similitudinem, pro ossibus ac sceletis elephantinis habenda. Non evertunt hanc opinionem objectiones nonnullorum, à dentium exertorum figura magis recurva, & reliquorum quoque situ & cohæsione arctiori, nec minus ab ingenti sceletorum quorundam magnitudine desumptæ. Nam dentes elephantorum exerti, teste *PETRO GILLIO β)*, ordinariò, in anteriorem recti, sensim in fine incurvati feruntur; & posito etiam, ordinarios dentes elephantinos non adeo incurva-

a) In Disp. Zoologica de Behemoth. β) In Descript. Elephanti,

incurvatos esse, quam dentes Mammuth, nonne tamen hisce in terram defossis, ibidemque diu relictis, major curvitas, quando fibræ, ab intrante humiditate intumescentes, paullulum abbreviantur, induci potest? Nonne etiam situs minorum in maxillis evadere debet arctior, quamprimum illi ipsi, ab ingressa humiditate pari ratione expansi, crassiores, latioresque redduntur? Accidit hic, quod sæpissimè in ligno densissimo atque siccissimo, vaporibus aqueis intrantibus tumefacto, fieri observamus.

§. XI.

Non obstat quoque tum dentium, tum sceletorum magnitudo. Nam hodie in Africa, quæ minores tamen Elephantos alit, dentes reperiuntur, qui 100. 120. libras pendent, & in India frequentissime occurrunt, quorum bini 325. librarum pondus attingunt, immo superant, & SCALIGER aliquando unum vidit, viro longiorem. Quod corporis quoque proceritatem & crassitiem attinet, illa apud Elephantos Indicos natu majores sedecim, hæc quinque, pedes persæpè excedit, & proportionatam ea propter corporis longitudinem, capitisque ac pedum magnitudinem supponunt. SCALIGER testatur, in India vestigia Elephantorum in arenis reperiri, quorum diameter sese ad quatuor spithamas extendat: *Unde, CYPRIANVS* a) ex allegati Scriptoris Exercitationibus hæc adducens, addit, *cognoscitur & magnitudo belluæ, fidem fere superans, & in Europam traductos fuisse ex minoribus.*
Neque

a) In Comment. ad Franzii Hist. animal. p. 504.

Neque enim nisi juvenes educi possunt, & cum vivant ad centum & quinquaginta annos, media etate semper crescunt.

§. XII.

Nondum quidem indicatæ magnitudines æquare videntur magnitudinem sceleti supra (§. IV.) descripti, & inter *Taram* & *Tomskoi* effossi, quod pictor *Beresoviensis* ulnas triginta sex longum fuisse perhibuit. Verum, probabile est, incolas superstitiosos ac simplices hyperbolicis suis relationibus, quibus gens plebeja in nostris quoque terris, quoties enarrat insolita, frequentissimè uti consuevit, magnitudinem ossium ac sceletorum sine dubio nimium auxisse. Posito etiam, laudatum sceleton magnitudine longe superasse ordinaria sceleta elephantina, nobis hodie nota, exinde tamen nondum sequitur, non fuisse elephantinum: Demonstrari enim fortassis poterit, ante cataclysmum animalia pleraque diutius vixisse, & ad majorem, quam post eundem, excrevisse magnitudinem; quod dentes elephantini, alibi etiam locorum effossi, confirmare videntur: In *Svevia* v. g., referente *Excell. SCHVLTZIO* *a)*, haud procul ab urbe *Hala* in valle quadam, quæ binos pagos, *Neunbronn* & *Hochstadt* dictos, distingvit, anno 1605. cornu quoddam, sensim recurvum & intus cavum, seu rectius, dens elephantinus è terra erutus fuit, ingentis magnitudinis, ponderisque tanti, ut eodem quinque centenarios excedat. „Fidem, „*Exc. SCHVLTZIVS* loco citato scribit, fere superat, si „dixero, illud pondere suo quinque centenarios omnino „superare; at, publicis testimoniis fultus, hoc asseverare possum

a) In *Diss. de Ebone fossili Svevico Halensi* p. 8.

„possim; siquidem illud, ferreis inclusum vinculis, ad-
 „huc hodie *Halæ* in templo, quod *S. Michaeli* sacrum est,
 „omnium intuentium oculis patet. &c.

§. XIII.

Sed, admissa sententia, Mammuth ossa esse elephan-
 tina, nunc porro quæritur: unde elephanti, qui nostro
 ævo calidarum duntaxat regionum incolæ sunt, in frigi-
 das hæc provincias sub terram, & cavernosas fluminum
 ripas pervenerint? Audiamus & hic aliorum opiniones:
 Rusi, ut ab inquilinis fiat exordium, ad diluvium uni-
 versale recurrentes, statuunt, regiones hæc ante cata-
 clysmum, ob aeris constitutionem tunc temporis cali-
 diorem, aluisse elephantos, eosdemque, irruentibus a-
 quis diluvianis, suffocatos fuisse atque submersos, ibi-
 demque, mutata aeris temperie calidiori in frigidiorum,
 sub terra, gelu adstricta, absque corruptione totali, quasi
 sepultos jacere, nec prius ideo venire in conspectum,
 donec crusta telluris, gelu remittente, rimas ageret, aut
 aquæ fluminum exundantium terram limoso-arenosam
 eluerent, aut casu quoque ossa ac sceleta ab hominibus
 effoderentur. Aliis, qui diluvium universale, præsertim
 in hoc passu, inviti admittunt, hæc sententia parum arri-
 det, iidemque particulares potius inundationes, aut suc-
 cessivam pelagi ac continentis mutationem, incremen-
 tum ac decrementum substituere malunt: Immo sunt,
 qui horum ossium originem à gentium Tartaricarum
 invasionibus in regiones orientales deducere audent.
 Inde enim elephantos à bellicosissima gente Scythica,
 C multi-

multiplici spolio onusta, ad Lares redeunte, simul in has regiones deductos, ibidemque, cum clima frigidius perferre nequiverint, extinctos, & postea ab incolis, evitandi fœtoris putredinosi causa, sepultos, vel etiam à fluminibus, alveos suos per intervalla excedentibus, violenter abreptos, & in loca cavernosa præcipitados fuisse, opinantur.

§. XIV.

Quod me attinet, particulares inundationes in tractibus hisce septentrionalibus, præsertim circa flumina majora, sæpe contingere, immo, hic pelagum, ibi terram continentem, successive limites suos extendere, & antiquam pariter gentem Scythicam frequentes irruptiones in regiones orientales fecisse, facile quidem concedo; eò tamen me nunquam patiar induci, ut credam, inde osium Mammuth originem derivandam esse, quum ossa ac sceleta hæc non tantum circa flumina, & in terræ limoso - arenosæ superficie inveniantur, sed ex imis quoque collium atque monticulorum locis, præprimis in tractibus, mari Tartarico proximis, adeoque longius à regionibus calidioribus remotis, eruantur; quibus positis, hypotheses memoratæ parum fidei retinebunt.

§. XV.

Longè majorem, quam hypotheses jam jam commemoratæ, ad probationem promereri videtur sententia eorum, quæ hæc ossa elephantina seu Mammuth inter
rudera

rudera diluvii universalis referunt, & ipse quoque eidem adfensum denegare nequeo. Nam primò in Siberia & Tartaria alia adhuc cataclysmi documenta supersunt: Quandoquidem ante annos quadraginta quatuor in ea Tartariæ borealis parte, quam *Barabinski* vocant, pars navigii inferior, seu carina integra è gremio telluris extracta fuit, & anno 1714., cum in monte ad urbem *Tobolski* puteum foderent, & fodiendo jam ad sexaginta quatuor orgyrum profunditatem pervenissent, trabs quercina nigricans, non rotunda, sed jam exasciata, reperta fuit. *a*) Deinde etiam ossa ac sceleta, ossibus ac sceletis Mammuth valde similia, interdum, quanquam rarius, & plerumque jam petrefacta, in aliis regionibus, v. g. in *Thuringia, Svevia,* & maximè prope *Canstadium* in *Ducatu Württembergico,* &c. eruta fuerunt. Hisce denique accedit, quod hypothesis hæc minori, quam reliquæ, prematur difficultate, & horum non minus fossilium, quam plerorumque reliquorum, origo facilius possit explicari. Cataclysmi enim tempore globus terraqueus adeo per aquas, tum ex aere decidentes, tum ex abyfso prorumpentes, diffractus fuit, ut triplicis regni corpora, longius ex parte è loco natali per undas furentes abrepta, confuse invicem fluctuaverint, donec cessante inundatione, & aquarum mole successive imminuta, corpora terrea, lapidea, metallica &c., confuse aquis innatantia, denuo descenderent, ac multa pariter animalia ac vegetabilia, cum præcipitatis prioribus delapsa, submergerentur. Scio quidem, contra hanc quoque sententiam

a) Conf. *Dn. de Strahlenberg Lib. cit. p. 396.*

tiam moveri posse, immo dudum motas fuisse, ob-
 nes varias; verum cum illæ longè faciliorem admi-
 dicutionem, quam quæ proponi possunt contra
 potheses antecedentes, huic sententiæ tamdiu, d
 certior ac melior innotescat, adhærere, & disse-
 tatiunculæ finem imponere placet.



PAŃSTWOWE
 MUZEUM ZOOLOGICZNE
 BIBLIOTEKA

St. Inst. Zool. PAN
Biblioteka

K.9406.

N.A.